VOTA, ET MOTIVA IN PROCESSV IN REGIA AVDIENTIA ACTITATO; INTITVLATO, processus cisternus Ioannis de Arcas, super aprehensione, in articulo jurisfirmarum, loci de Alfocea.

IN DEI NOMINE, AMEN. Nouerint vniuersi, quod anno computato a Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, die verò connumerata decima quarta mensis Martij, apud Ciuitatem Cæsaraugustæ in Camera Regij Consilij causarum ciuilium præsentis Aragonum Regni. Interuenerunt Magnifici Domini, Doctor don Michael Marta, Regens Cancellariam, Doctor Hieronymus Torrero, & Embun, Doctor Didacus Canales Doctor Ioannes Chrisostomus de Exea, & Doctor Ioannes Baptista Alegre, Regij Consiliarij, coram quibus fuit positus processus Ioannis de Arcas, super aprehensione, in articulo iurisfirmarum, in quo, tres ex supradictis magnificis Dominis de dicto Regio Consilio præmissa relatione, &c. Fuerunt voti & opinionis, quod attent. content. &c. tenetur, & debet prununtiare, & recipere propositionem iurisfirmæ Sperantiæ Diez de Aux, in cuius locum repositus est Augustinus Baptista Seron principalis, Petri Iosephi de los Vayos Procuratoris, & man

dare eidem restitui bona aprehensa, vna cum fructibus lite pendente perceptis, seu percipiendis; præstita prius per eum cautione forali, cæteris propositionibus repulsis, neutram partium in expensis condemnādo; cætera supplicata locum non habere. Ideò & aliàs pronuntiamus modo quo in sententia recipiendo iurisfirmam Sperantiæ Diez de Aux, in cuius locum Augustinus Baptista Seron principalis Petri Iosephi de los Vayos Procuratoris, media repositione, ac per legitimos tramites subrogatus extat; quia versamur in articulo iurisfirmarum, processus aprehensionis, id est plenario possessorio, in quo ille vincere debet qui potiori, ac iuxtiori titulo suam possesionem fulcitam fore monstrauerit; contendentes In hoc iudicio, quod iam personale est, & à particulari citatione originem sumit, fuere in sui principio Franciscus de Altarriba dominus Castri, & oppidi de Huerto, reus conuentus qui in summarissimo littispendentiæ dictam Sperantiam superauit, quæ postea actricis vicibus functa fuit: nunc uerò iurgium hoc prosecuti sunt, & ipsius finalem terminum desiderant Augustinus Baptista pro iure Sperantiæ, & Petrus de Altarriba dominus loci, & fortalitij de Huerto, pro paterno, sed hoc illi cedere debere merito censemus; Sperantia siquidem iure successionis intestate per obitum abque liberis D. Ludouici de Heredia filij Comitis Fontani, & Elisabetę Diez de Aux, tanquam proximior ex illa parte vnde bona profluunt ac deriuantur, innititur, quod in facto taliter indubium est; quod nec aduersa pars diffiteri causa fuerit; quod enim cunctis viribus conatur, est euertere dictam successionem intestatam D. Ludouici, asserens (& hic est ipsius titulus) locum de Alfocea, inter alia plurima bona iam fuisse alienatum,

ac venditum ab Elisabeta, D. Ludouici matri, ad fauorem Petri, & Francisci de Altarriba, semper & quotiescumque deficerent descendentes legitimi venditricis, prout defecerunt, defuncto D. Ludouico inupto, sed titulus hic, pro non tali iudicatur, attenta ipsius simulatione, ac confidentia; quamuis etenim vnicuique instrumento publico, regulariter veritatis Præsumptio, inter alias asistat; tamen si coniecturis nō extraneis, sed ex ipsius litera de prōptis, simulatio elucescat, & tales extent quæ animum iuditis præcisse ad sic credendum compellant, fidem eidem tolli debere certissimum est; Quæ, ex lectura huius venditionis inferuntur, vrgentissimé sunt, de quibus sigillatim; Venditio hæc fuit concessa ab Elisabeta vniuersaliter de omnibus, quippé, suis bonis tam mobilibus quā sedentibus, habitis etiam ac futuris; & præsentia, ac specificé numerata, maximi valoris erant; ad cassum defficientiæ filiorum, & descendentium venditricis, effectus huius contractus protelatus fuit; pro spe tam falibili, quis vnquam credet Petrum & Franciscum emptores, quindecim mille libras illico ac vnica numeratione Elisabetæ tradidisse? Præcipué cum hæc nubilis ætatis iam foret, pro ut paulo post, cum Comite Fontano D. Carolo, matrimonium contraxit. Consanguinea Francisci emptoris erat (talem cum in venditione nominat) in custodia, & sub patrocinio Petri existens. In loco de Huerto commorans, & in ipsius fortalitio vendens. Nupsit paulo post cum D. Carolo, & in pactis dotalibus non adduxit pretium dictæ venditionis, quod cum esset summæ adeo magnæ, si verè receptum foret, non videtur verosimile tam breui tēpore illud consumpsisse, nec omisisse pro dote adduci, vt à marito firmaretur, imó Petrus emptor, vt ipsius

procurator, inter alia bona locum de Alfocca duxit simpliciter, nulla protestatione, nec reseruatione sui iuris adducta. Appellatur sæpe sæpius Franciscus emptor in infantili ętate cōstitututus quidquid videbat ignorans, ab eoque, & eius patre Petro, pretium fuisse tradditum, Elisabeta fatetur; qui igitur fari non poterat, male consensum acomodare valebat in venditione, tot reseruationibus ac adimplementis subiecta. Et quamuis infanti ac absenti adquiri, inficiari non possit; temen si contractus, prout istę, simulationis vitium patiatur, augetur illa ex adjectione personæ inhabilis, prout etiam ex reseruatione dominij, ac possessionis ad vtilitatem venditricis, omnisque suæ posteritatis. Nec prædictis vllo modo refragatur codicilaris scriptura Elisabetæ, qua, obseruantiam contentorum in venditione, iterum commendat, ac præcipit; ex qua veritas illius, & perseuerantia voluntatis spontanæ venditricis infertur; quia cum hæc fuerunt declarata in actu reuocabili, cessant & compurgantur præsumptiones simulationis ponderatæ. Non igitur quidquā hoc obstat, immo aduersus Franciscum consideratio retorquetur, & suspitionem venditionis, scriptura hęc augere quodam modo videtur; si etenim ius verum efficax ac reale media venditione fuit in emptores respectiué translatum, irreuocabilis erat venditricis voluntas, nec confirmatione seu ratificatione aliqua, ad sui firmitatem, ac valorem egebat; vt quid igitur declaratio hæc? forsam, & non temere iudicando, vt robur aliquod, simulatæ venditioni, tribueret; quod facilius suadetur, cum recognitio Petri, de qua infra, huic codicillo subsequta fuerit: ex quo certo certius resultat, ipsum paruipendisse ratificationem codicillarem; si etenim cum ea securus redderetur de libera,

ac spontanea voluntate Elisabetæ in venditione, & sublata foret confidentia ipsius, minimè recognitionis, ac retrouenditionis actum concederet, sed quia causa, finis, & respectus, qui venditioni causam tribuere, adhuc sub fidelitate Petri permanebant: ideò veritatem propalauit, nec credibile, imò nec excogitabile, ipsum nisi vrgenti necessitate conscientiæ propriæ, tot tantaque, ac pretiosa bona, spontanæ à se, iurisque posteris hęredibus ac successoribus, abdicasse. Et licet pręfatę coniecturę, de per se, ac vnitę simulationem huius contractus vehementer suadeant, & animum ad sic credendum impellant, euellit tamen radicitus scrupulum quemlibet, instrumentalis recognitio a Petro facta, ac retrouenditio eorumdem bonorum, ad fauorem Elisabetę, & suorum, octo iam efluxis annis, a die venditionis cõcessa, in cuius pręfatione, pręmissa venditionis narratione ac chalendario, fidelitatem suam Petrus agnoscens, & veritatem Elisabetę venditricis recognoscens confidentialem fuisse pleno ore fatetur, certisque finibus, ac respectibus, & ad vtilitatem, & commodum venditricis celebratam, pretiumque in ea conuentum non tradidisse, volens in nota originali deleri, ac cancellari, dominam rerum venditarum Elisabetam, tam pleno iure eo prorsus modo, ac prout ante venditionis concessionem constituens, varijsque alijs clausulis exuberantissimis veritatem huius conuentionis detegens, vt ex lectura dicti instrumenti cuilibet intuenti patebit. Sed quamuis ita claris, ac disertis verbis cõcepta fuerit recognitio, eidem tamen obijcitur per Franciscum de Altarriba, patrem recognoscentem noluisse in ea, ius filij, sed proprium tantummodo, includere; hocque non obscure inferri, ex modo loquendi

Petri, geminatis ac reiteratis vicibus repetitio, contendit; ait etenim passim, *vendición a mi hecha, drecho a mi adquirido; y que del precio de ella no he pagado cosa, ni cantidad alguna, &c.* Quæ verba, vt personalissima, limitatiuè ac restrictiuè, de venditione, ac iure Petri loquentis, secundum propriam naturam, intelligenda sunt, minimè verò de iure Francisci, equalis emptoris, deliberate ac consulto semper omisso, sed vt obiecto huic fiat satis, duo, vt certissima in facto, suponenda erunt, prius, venditionem fuisse factam Francisco de Altarriba, post dies paternos, & cum qualitate hæredis, ac successoris castri, & loci de Huerto; posterius, ad successionem hanc, iam Franciscum vt primogenitum inuitatum fuisse in pactis dotalibus suorum parentum Petri nempe de Altarriba, & Ioannæ Franciscæ Diez de Aux: hijs prælibatis, pernecesse de iure filij, recognoscentem, etiam loqutum fuisse, censemus, attente, pro vt decet, perpensis varijs recognitionis clausulis; sit præcipua illa quę in capite dispositionis in scripta legitur, ibi: *Por tanto yo dicho Pedro de Altarriba, queriendo cumplir con la fidelidad mia, y verdad de vos dicha Señora Doña Isabel,* & statim, *reconozco, confiesso, y otorgo por mi, y por los mios, presentes, y aduenideros, &c.* Ex quibus verbis apperte deprehenditur, fidelitatem Petri, ac Elisabetę veritatem, in eo consistere, vt ille pro se, suisque præsentibus & futuris, simulationem venditionis ingenue fateretur, quod vt adimpleret, pro se, ac suis recognouit, simulq; retrouendidit, itaque fides personalissima fuit patris (illius etenim erat incapax filius) recognitio vero, de suo, ac suorum iure gesta fuit, aliás etenim, nec fidelitas propria, nec veritas venditricis agnita foret, ius etenim recognoscentis, limitate ad ipsius vitam con-

cep-

ceptum erat,ius verò Francisci, & successorum loci de Huerto, perpetuo mansurum erat post decessum patris, & inutiles ac frustatoriæ forent tot clausulæ quibus Petrus profitetur ac vult venditricem, iterum dominam bonorum fieri, cum libera dispositione, tam quam si vllo vnquam tempore, præfacta venditio, conuenta nec cogitata foret; quando enim confidentia declarata fuit a Petro, nec in posterum, nullus alius suu s fuit, nisi Franciscus, qui & filius, & hæres patris erat, igitur pro se, ac pro Francisco recognouisse fatendum, idem siquidem sonat vocare quempiam nomine proprio, aut cum aliqua qualitate demonstratiua personæ, que ei tantummodo conuenire potest, & in illius cognitionem per necesse nos ducit, qualis est, suitatis, ac heredis in Francisco. Insuper, in recognitione, Petrus promitit obseruantiam ipsius, pro se, suisque hæredibus, ac successoribus, quod idem fuit, ac si expresse pro Francisco promitteret, iste enim vnicus necessarius hæres, & successor patris, iuxta prædicta, erat, & in nullo alio, tunc, nec postea, qualitates huiusmodi verificari poterant. Nec obest, aliquas clausulas ex supra perpensis executiuas fore, & vt tales dispositionem ampliare non posse; quia verius est, in principaliori parte huius recognitionis, in proœmio scilicet, ipsius causam finalem denotãtes satis explicite voluntatem recognoscentis contineri; & sic aliæ subsequentes, illam coadiuuant, & declarant, hęc etenim virtus, ac potestas, clausulis executiuis, ab omnibus tribuitur. Minus etiam refragatur personalitas supra perpensa, qua vsus fuit Petrus in recognitione; quia verius existimamus, verba illa, demonstratiue, non vero limitatiue accipienda, prout regulariter ita intelligi debent, imò proprissime loquitus fuit Petrus, ven-

ditio

ditio etenim,ipsiusque conuentio, cum ipso tantum fuit celebrata,quamuis enim aliquo tempore,effectus ipsius commodum Francisci respiceret,cum eo,ab im possibili,nihil actum fuit ob ipsius ętatem,igitur venditionis author,& tractator,Petrus fuit, quid mirum ergo,si geminatis vicibus proferat,*vendicion a mi hecha,&c.*& quantum fieri potest,conuinatio seu conciliatio verborum amplectenda,vt volūtas subsistat, si enim tot clausulis supra relatis manifeste appareat, de iure Francisci patrem alloqutum fuisse, verba illa personalem restrictionem denotantia; cum sensum proprium absque contrarietate habeant,non alius est tribuendus,quo,penitus recognoscentis intentio, & voluntas clare,ac geminatę probata,destruatur. Opponitur deffectus causę huius simulationis inductiuę, quam necessario adesse debere aliqui dixere, sed contrarium,verius, & receptius,existimamus, maximé, vbi tot talesque conjecturæ,instrumētali confessione roboratæ, intersunt: Nec defuit causa in recognitione,sed eam exprimere noluit Petrus,indecens fortasis erat,nonne ipse palam,ac sæpius profitetur venditionem factam fuisse.*Por ciertos fines,y respectos,en fe, y por cubierta*? sub hijs verbis causam simulationis delitere,quis non videt? quam si declararet Petrus,suæ fidelitati defficeret,propalando id,quod celate, ac *por cubierta* venditrix eidem commissit. Et quamuis prædicta pro decissione littis sufficerent,voluntatis Petri, quæstione examinata,quæ insurgit circa ipsius potestatem ad præiuditium filij,minime ommitenda; illamque adfuisse arbitramur; apparet siquidem Franciscum,hæredem patris extitisse,pro talique se gesisse, petendo,ac obtinendo in iuditio pardinam de Frulla; cuius valor, & quantitas reseruata a patre in pactis

nup-

nuptialibus, in qua etiam vt hæres post mortem sororis successit, valorē loci litigiosi attingere cēsemus, attenta huius stimatione, & deducendo onera, ac censualia super eo imposita, cui iungendi sunt fære triginta mille solidi emptionis domus domini de Sobradiel, ex quibus, facultates hæreditarias valorem loci de Alfocea excedere existimamus, ac per consequens idtra limites illarum impugnare Franciscum paternam recognitionem, & retrouenditionem non posse, nec enim decet ex alqua persona lucrum capere, & eiusdem factum euertere. Omnia prędicta vltra quod atento iuris rigore procedere arbitramur, æquitas, & veritas huius partis post illius examen magis refulget; si etenim pro indagatione, & cognitione istius, cunctis viribus modisque omnibus religio iudicantis laborare debet, mater enim iustitiæ veritas a Doctoribus appellatur, vbi, vt in præsentiarum, vndequaque hæc pululat, quid amplius hesitandum? ex quibus, titulo venditionis destructo, successio legitima ob mortem Don Ludouici vltimi horum bonorum domini, & possessoris, Sperantiæ Diez de Aux, delata fuit, sicq; eius propositio jurisfirmæ recipitur, in cuius locum repositus est Augustinus Baptista, ab ea ius, & causam habens; cæteris repulsis, & aliàs atteñ. conteñ. &c. ET alteri duo Magnifici domini supradicti, de Regio Cōsilio Ciuili præmissa relatione &c. fuerunt voti, & opinionis, quod atteñ. conteñ. &c. Tenetur, & debet pronuntiare, & recipere propositionem jurisfirmæ Francisci de Altarriba, & Alagon, per cuius mortem præsens causa fuit resumpta, cum Petro de Altarriba, & Alagon eius hærede, principalis Francisci Gerardi Longo, & Petri Hieronymi Guindeo Procuratorū; & habere bona pro restitutis, cæteras propositiones

reijciendo,ac repellendo ſub fideiuſſoribus præſtitis, & alijs arbitrio Regiæ Audientiæ præſtandis, cætera ſuplicata locũ non habere. EX EO præſertim, & aliàs recipitur prædicta jurisfirma Don Franciſci de Altarriba,& Alagon ob cuius mortem cauſa fuit reſumpta cum Don Petro de Altarriba eius filio,ac hærede, repulſa alia oblata pro parte Domnæ Sperantię Diez de Aux,in cuius locum eſt repoſitus Auguſtinus Baptiſta Scron; quoniam conſtat de meliori, ac potiori titulo Don Franciſci,& poſſeſſione bonorum apprehenſorum in eum tranſlata vigore inſtrumenti venditionis conceſſæ per Domnam Eliſabetam Diez de Aux dominam, ac illorum poſſeſſoram in fauorem eiuſdẽ & de clauſulis in dicto inſtrumento contentis,ad obtinendum in præſenti iurisfirmarum articulo neceſſarijs. Nec refragantur pluraque aduerſus præfactam venditionem opponuntur; primum ſcilicet quod dicta Domna Eliſabeta non habuit facultatem de illis libere diſponendi,cum per teſtamentum patris Martini Diez de Aux, fuerit grauata reſtituere filijs ſuis maſculis; & per conſequens Don Ludouico Fernandez de Heredia,eius filio maſculo;quod ex eo deducere conatur;quod dictus Martinus pater,inſtituto hærede Martino, eius filio, ea verba adiecerit: *Al qual dexo los bienes ſitios que fueron de mi padre Moſſen Iuan Diez de Aux, los dexo con los vinculos pueſtos en el teſtamento de mi padre, y los bienes que fueron de mi aguela Iayma de Bielſa,con los vinculos pueſtos en ſu teſtamento*: Ex eis inferendo,noua vincula apponere voluiſſe,ea tamen faciendo ad normam, & ſimilitudinem poſitorum in dictis teſtamentis patris Ioannis,& Annæ,& quod cum in teſtamento Ioannis patris reperiatur grauatus hæres Martinus reſtituere bo

na hæreditaria vni ex sororibus eius in cassu decedē-di in minori ętate,& sine filijs legitimis, & descenden tibus ex eis legitimis, similiter intelligatur idem voluisse Martinum in suo testamento,& per consequēs, quod cum euenerit casus decendi Martinum secundum hæredem, fratrem Domnæ Elisabetis, sine filijs legitimis, & descendentibus ex eis, similiter dictam Domnam Elisabetam, in bonis apprehensis successisse non libere, sed cum honere disponendi in filium Don Ludouicum masculum legitimum: Nam dupliciter responderi potest, primo, dicendo quod ea verba dicti testamenti; *Los dexo con los vinculos puestos en el testamento de mi padre,* non sunt inductiua nouorum vinculorum ad similitudinem positorum in dicto testamento Ioannis, sed declaratiua tantum voluntatis testatoris, volentis antiqua remanere prout extrabant, qui enim declarant nihil de nouo agere censetur, verbum illud (*puestos*) non ad alia vincula relationem facit, nec de alijs vinculis intelligi potest, nisi de scriptis, & expressis in dicto testamento paterno, non verò de alijs positis in suo, licet ad similitudinem, & normam illorum factis, non enim quod est simile idem esse censetur, imò est omnino exclusiuum, cum se restringat ad vincula posita in certo & determinato loco: Nec refert si dicatur quod cum præfacta vincula caducabantur propter superuiuentiam liberorum, prout re vera caducarunt; præsumendum est, quod hoc sciens testator voluerit ea renouare, aliàs inutiliter adiecta essent dicta verba, & sine aliquo effectu operandi: Nam respondetur quod si id voluisset testator clarius, & expressius loqueretur, non enim in dubio fieri debet ea interpretatio, vt fideicommissum inducatur, imò contraria est iuris præsumptio, & in

ocur-

ocurrenti; credendum verba protulisse testatorem errore ductum, existimãs vincula durare, propter quod noluit alia de nouo subrogare; bona quippe sunt magni valoris, & ideò non est verisimile, si voluisset, quod non clarius, & expresius id dixisset: Secundo responderi potest; quod & si fateretur ex prædictis verbis fideicommissum resultasse, aduc non apparet Domnã Elisabetam; in dictis bonis succesisse cum onere disponendi in filium suum Don Ludouicum, nam conditio, sub qua grauatus esset hæres restituere bona fidei comisso subiecta, defecit, cum illa fuisset iuxta thenorem vinculi positi in testamento Ioannis, scilicet si grauatus decederet in minori ætate, & sine filijs, & descendentibus legitimis; & constat decesisse maiorem ætatis quatuordecim annorum, & adhuc viginti, ac per consequens fideicommissum caducasse; & sic transiuisse in Domnam Elisabetam bona, libera à pręrenso vinculo, ex testamento Frattis Martini, qui de eis libere potuit disponere. Et licet ille etiam decescerit, sine filijs, ac descendentibus legitimis; hoc non obstat, cum sub illis duabus conditionibus copulatis grauatus extiterit, & vtramque necessum fuisset adimpleri, vt vocationi locus foret, ex natura copulæ (*Et*) quæ vtrumque extremum coniungit: & ideo Domna Elisabeta non fuisset simpliciter; & absolutè vocata, in casu decedendi sine filijs, ac descendentibus, sed in cassu quo grauatus in minori ętate decisisset, & sine filijs, & descendentibus; quia licet hęc conditio decedendi sine liberis, sola de per se posita vtrumque tempus minoris & maioris ætatis complectatur, compendiossam quę efficiat substitututionem, tamen coniuncta cum illa, si in pupillari ętate decesserit, restringitur ex vi copulę ad tempus dumtaxat pupillaris, cum

re-

requirat existentiam duorum copulatorum; quod cõtingere nequit, nisi resttingendo dictam conditionem sine liberis, ad tempus pupillaris ætatis, secundum doctorum veriorem, & communionem censuram, substitutio quippe ad certum tempus limitata, vltra illud produci, & extendi non potest præsertim in Regno, vbi precisse catte standum est. Nec refragatur si quis obiecerit, quod restringendo conditionem sine liberis, ad tempus minoris etatis superflue videretur adiecta, cum certum esset imò necessarium pupillum decedere, siue filijs ac descendentibus, atque ideò magis ad augendum, & ampliandum grauamen, quam ad restringendum, & diminuendum censeri deberi per testatorem appositam fuisse. Nam respondetur, quod licet secundum communem vsum generandi necessarium sit pupillum sine liberis decedere, inficiari tamen non potest conditionem sine liberis etiam in minori ætate verificari, cum eius tempus includat, nec ob hoc omnino superflua videtur copulata cum alia decedendi in minori ætate, cum gratia maioris explicationis apponi potuit; quod sufficit ne inutiliter adiecta censeatur, nec est ferendũ secundum communẽ, doctorum sententiam, propte solum euitandam superfluitatem extendere fideicommissum præsumendo de facili atrem voluisse priuare filium facultate testandi, & disponendi inter viuos. Hijs accedit; quod dicta conditio sine liberis, non includit necessario, potentiam habendi liberos, sed solum significat deffectum, negationem, carentiam, seu non existentiam liberorum; & per consequens non habet locum argumentum de priuatione ad habitum, neque aliud; quod est de natura conditionis; quod se habeat ad esse & nõ esse, cum verum sit infantem, impotentem, castrum, &

in sacris ordinibus constitutum decedere sine liberis legitimis & de legitimo matrimonio procreatis, quamuis hij, omnes contrahere matrimonium vllo tempore nequeant, & tandem licet in viam iuris, propter varias doctorum sententias opinio hæc pati possit aliquas contradictiones, tamen in ocurrenti cassu radicitus tollunt, difficultatem illa verba posita immediate post appositionem dictarum conditionum, scilicet, *en el dito caso*, quæ restrictiua sunt, & apperte denotant tantum in vnum casum substitutionem esse conceptam, non in duos, atque ideo non alternatiuè, quæ duos complectitur, (licet minoris ętatis, aut post eam decedendi sine liberis), propter quod apparet in hoc casu esse contra voluntatem testatoris se ipsum explicantis, coniunctiuam resoluere in alternatiuam, cum sine manifesta violatione litere fieri nequeat, siue necnon resoluere singularitatem in pluralitetem. Rursus non obstat, has duas conditiones necessario esse separandas, resoluendo coniunctiuam in alternatiuam, cum simul stare nequeant, ex quo diuersa tempora respiciunt. Nam respondetur, maximam differentiam versari an hæ duę conditiones a testatore coniungantur, vel alternatiue ab eo sęparentur; primo casu stare simul possunt; quia conditio decedendi, sine liberis, verificari potest in pupilare ętate, licet longius tempus comprehendat; ex quo enim testator eam copulauerit cum conditione decedendi in pupillari ętate, voluisse censetur restringere ad tempus pupilaris ętatis; quando vero eas testator per alternatiuam separat indubitatum est non posse coniungi, esset enim contra voluntatem expressam testatoris volentis in deffectum primę subrogare secundam nempe conditionem, sine liberis, in defectum conditionis deceden

di

di in pupillari ætate. Ex hijs etiam diluitur alia difficultas, quæ insurgit ex quo Martinus in testamento hæredi grauato filio non reliquerit tutorem, & per consequens maiorem quatuordecim annorum præsumi, propter quod videtur relationem non fuisse factam ad cassũ decedendi in minori ætate, sed ad alium decedendi sine liberis; nam satisfit dicendo quod ex eo, tantum infertur inutiliter fieri relationem, cum fiat ad substitutionem, quæ non est compatibilis, cum maiori ætate, non autem quod fieri debeat ad cassum decedendi tantum sine liberis, ad quem non extenditur dicta substitutio; vltra quod, non infertur necessario filium esse maiorem quatuordecim annorum, ex quo pater non reliquerit tutorem in testamento, potuit enim contingere per obliuionem, seu ob aliquã causam, quæ non apparet, debuisset enim apertius constare ad finem inducendi fideicommissum, & nouum grauamẽ imponendum. Secundo opponitur aduersus prædictam venditionem, veram non esse, sed simulatam, factam in fide, & pro cubierta ad vtilitatem tantum Domnę Elisabetis venditricis; quod non solum probari videtur ex thenore recognitionis Petri de Altarriba emptoris, id expresse confitentis, sed etiam ex pluribus conjecturis, ex thenore dicti instrumenti venditionis, & alijs in processu exhibitis resultantibus, nempe, ex quo venditio facta fuerit eo tempore quo Domna Elisabeta de contrahendo matrimonio tractabat; & generaliter omnium bonorum præsentium, & futurorum; tum etiam quia facta fuit Don Francisco de Altarriba infanti, à quo venditrix fatetur recipisse pretium; & quod illud fuit magnum silicet quindecim mille librarum Iaccensium pro quadã spe succedendi in dictis bonis, valde dubia, & incerta;

nec-

necnon, ex quo vendidit personis coniunctis; & tandem, quod nisi dicta venditio in fide, & pro cubierta facta esset, Petrus de Altarriba non tam enixe, & expresse, id fateretur, præsertim cum ex dicta recognitione præiuditium inferebatur filio Francisco, priuando illum spe succedendi in bonis tam magni valoris. Sed tamen his non obstantibus, contrarium, & sic venditionem esse veram & factam ea mente per venditricem vt haberet effectum suo casu scilicet in defectũ suorum descendentium, manifestè conuincitur ex pluribus, & ex eo præsertim quod ipsa, anno iam transacto post dictam venditionem, & cum iam esset ætatis viginti & septem annorum, & matrimonio copulata, fecit codicillũ, in quo expressé declarauit, quod volebat vt successiones & vincula & cætera in dicta venditione contenta seruarentur iuxta eius continẽtiam ac thenorem, & hoc non præcipiendo, sed deprecando: vti declarant illa verba: *Y suplico y encargo al señor de Huerto, que si en lo que ordeno en dicho mi testamento, y en el presente codicilo excederà mas de lo que yo me reserue en dicha vendicion, su merced no auiẽdo cumplimiento de mis bienes, lo cumpla de sus bienes realmente y de hecho*, vna pars codicilli aliam declarat. Secundo colligitur ex depositionibus duorum testium, qui & si singulares sint, cum tamen eorum dicta ad eundem finem tendant, si licet prouãdi veritatem venditionis ex propria confessione venditricis, coniunguntur, & plene probare censentur, vnus est Iacobus Pebin Presbyter, qui in articulo litis pendentiæ, super articulo vigesimo nono replicæ oblatæ pro parte Iacobi Lopez, & reproductus in præsenti jurisfirmarum, deposuit audiuisse diuersis vicibus domnam Elisabetam dicentem, & præsertim in præsentia soro

ris

ris Domnæ Beatricis Abatissæ de Casuas, quod D. Frã ciscus de Altarriba suus consobrinus erat ei successurus in defectum liberorum, & quod ad hunc finem fecerat quandam venditionem in fauorem illius & eius patris Petri Altarriba: alter est Franciscus Lecina Notarius qui deponens super articulo sexaginta replicę oblatæ pro parte D. Francisci in præsenti processu, attestatur quod cum habitaret in domo Francisci Lecina eius anunculi, qui testificatus fuerat actum recognitionis, iussit ei vt veniret ad præsentem ciuitatem Cæsaraugustæ, & ostenderet minutam Domnæ Elisabetæ dicti actus recognitionis, quod ipse testis fecit, ostendendo eidem & recitando, & quod dicta Domna Elisabeta dixit; *que de qualquiere manara estaua bien, porque si ella moria sin hijos, auian de venir todos sus bienes a los hijos del de Huerto.* Tertio probatur veritas venditionis ex quo D. Ludouicus filius Domnæ Elisabetis, cui solum ex dicta venditione præiudicium inferebatur, & in quo ius Domnæ Sperãtiæ prętensum, initium sumit, eam agnouerit, & pro vera habuit, dum, cum in extremo vitę suę extitisset infirmitate qua decesit, fuit à pluribus personis persuasus, vt testamentum faceret, quibus respondit quod nolebat, nam nulla bona habebat, quia iam eius mater disposuerat in Franciscum de Altarriba eius consobrinum mediante quadam venditione in cassu quo ille sine filijs decessisset, & quod illos non habebat, vt apparet ex depossitionibus Dominici Macipe & Ioannis Bernardi de Arcas testibus super articulo quadragesimo primo replicę D. Francisci deponẽtibus. Quarto suadere censetur veritatem venditionis, causa verosimilis quę potuit mouere animum Domnę Elisabetis ad concesionem illius, silicet, amor, & sangui-

nis coniunctio, vtrumque indicant illa verba venditionis *Sobrino mio* cui conſonat quod Domna Eliſabeta, in teſtamento quod condidit paucis diebus ante codicillum, reliquit hæredem vniuerſalem ſuorum bonorum, Eliſabetam de Altarriba ſororem D. Franciſci; ex quibus clare colligitur eos tanquam ſanguine coniunctos, & filios Domnę Ioannæ Diez de Aux eius ſororis amitinæ, valde diligebat, & quod voluit vt omnia bona ſua in ſuos conſobrinos peruenirent, vni, reliquendo ſedentia mediante inſtrumento venditionis, & alteri, mobilia ſibi reſeruata in ea, mediante teſtamento. Et tandem ex eodem thenore venditionis reſultare videtur vrgens veritatis coniectura, vltra iuris præſumptionemque pro inſtrumento militat; nam inueroſimile cenſetur, quod in venditione ficta, vincula fiant cum tot reſeruationibus modificationibus & cautelis; ad quid ergo confidentia; parum aut nihil confidit qui ita ſe præcauere procurat. Hijs igitur ſupoſitis, non obſtat confeſsio facta per Petrũ de Altarriba in dicto inſtrumento recognitionis, in eo quod dicit venditionem factam fuiſſe in fide, & pro bubierta ad ſolam vtilitatem Domnę Eliſabetis; nam, pręterquam apparet dictam confeſsionem non proprio motu feciſſe, ſed ad inſtantiam & ſugeſtionẽ Comitis de Fuentes, valdè eius amici, ac patris D. Caroli mariti Domnę Eliſabetis, vt ipſe D. Carolus in ſua depoſitione facta pro Domna Sperantia clare atteſtatur, hęc confeſsio maximam continet inueroſimilitudinm, cum facta fuerit vẽditio etiam infanti; qui non eſt capax confidentię; tum etiam quia cum efectum non erat habitura, niſi poſt mortem Domnę Eliſabetis & ob defectum omnium deſcendẽtium ab ea; nunquam vtilem eſſe potuiſſet ipſi vendiirici. Nec refert

fert

fert si retorqueatur, quod ex quo facta fuit infanti per patrem tantum acceptantem pro eo explicari potest confidentia, nam etsi hoc procederet cassu quo ad esset (quod negatur) nō tamē ex hoc inferri potest quod in præiudiciũ Frācisci maneat declarata, & probata simulatio, dicta enim confessio patris remanet in terminis merê cōfessionis; quæ licet in præiudiciũ cōfitētis habeatur pro vera; nō tamē alterius, ita vt nec coniecturā faciat aduersus aliũ, nā ea non obstante aliter si res potest haberi, & litere quilibet potest suo iuri renunciari; neque etiam quidquid refert; quod vnus & idem contractus pro parte verus, ac in parte fictus esse nequeat, propter indiuiduam eius fidem: Nam & si hoc vbi vnica res est; quę venditus, & vnus emptor locum habere possit, tamen in ocurrenti, cum diuersa sint iura, quæ ex dicta venditione oriuntur, & diuersi emptores, & vnicuique illorum diuersum ius, & sæparatum à iure alterius ad quiratur; propter quod pro diuersis rebus venditis, & emptis iudicari debeant respectu temporis, cum ea quæ recipiunt diuissionem, in substantia recipiant etiam diuersionem in tempore nō erit in conueniens, vt respectu vnius iuris haberi possit, pro vera, & respectu alterius, non & sic diuidatur fides, & voluntas venditricis, respectu rerum, ac personarum, & vna sit fides, respectu vnius, & altera respectu alterius, licet vnicum sit pretium, respectu summæ, quod etiam diuissionem recipere pro dimidia non est ambigendum, quid quod cum ea debeat esse fides contractuum; quæ consistit in obseruantia pactorum, tantum abest, quod hæc confidentia sit fides huius contractus, huius vēditionis; quod imò illum omnino destruet, & annullat. Præterea non obstat coniecturæ; quæ ad corroborandam dictam confessionem

expenduntur,nam præterquam ille in Regno vbi car tæ ſtandum eſt debent eſſe vrgentiſsimæ;& per neceſ- ſe concludere vt admiti valeant, cum omnino de- ſtruant omnia in inſtrumento contenta, in præſentia- rum certum eſt nullius fore roboris & momenti, cũ tantum locum haberi poſsint, quando de contraris non apparet,& in occurrenti vt iam oſtenſum eſt,cõ ſtat de veritate venditionis; hoc ſupoſito, quid ergo proderunt, poterit ne vincere & ſuperare, dubia & coniecturalis probatio; aliam probationem certam & claram præſertim vbi nec probata,nec allegata eſt cauſa veroſimilis, quæ præciſsè requiritur ad proba- tionem propriſsimè ſimulationis, in cuius terminis verſamur, ſecundum commnnem Doctorum cenſu- ram, neque etiam conſtat quod tertio obijcitur ad- uerſus prædictam venditionem, ſi licet quod ſubſtine ri nequit cum facta fuerit infanti qui tunc contrahe re & conſentire non poterat, ac per conſequens pro eius parte videtur fatendum nullam extitiſſe. Nam reſpondetur quod licet contractus venditionis ſit vl tro citroque obligatorius,hoc ideo fit; quia vẽditor in eo ſe obligat ad transferendum dominium,ſeu va- cuam rei poſſeſsionem tradderc,& emptor ad ſolutio nem pretij, & cum in regno ex conſuetudine & mori bus noſtris receptum ſit fere in omnibus inſtrumen- tis venditionum apocam fieri pretij recepti,ideo tũc non eſt neceſſarius conſenſus emptoris ad ſe obligan- dum ad pretium,& in vtiliter adiectus foret, cũ pro eius parte iam ad impletum ſit,& ideo ſtatim eſt per- fecta venditio, qua propter introductum eſt vendi- tiones quotidie fieri in fauorem abſentium & igno- rantium cum eorum voluntas, & conſenſus non ſit neceſſarius ad ſe obligandum pro pretio,quando vẽ-

ditor fatetur in eodem instrumento illud recepisse, neque similiter necessarius est ad adquisitionem iuris & dominij, nam id absenti, ignoranti, & infanti quæritur absque acceptatione, hoc quipe fauorabile est, acceptatio enim de iure tantum necessaria iudicatur ad effectum se obligandi, & adquirendi irreuocabiliter iuxta veriorem Doctorum opinionem secuta stipulatione Notarij, de foro autem non requiritur, ad effectum etiam adquirendi irreuocabiliter, cum per instrumentum transferatur dominium, & possessio si in eo dicatur, quia stamus cartæ, & cum in instrumentis venditionum ea verba apponuntur: *Luego cedo, transfiero, y desamparo en vos, &c.* Vti in præsenti posita reperiuntur, simul cum alijs clausulis translationem dominij, ac possessionibus denotantibus, in vim illarum foro coadiuuante statim omne ius, quod in venditore adest transfertur & adquiritur emptori, etiam infanti, ignoranti, seu absenti; absque illorũ acceptatione & licet venditor verè, & realiter non acceperit pretium Sat est quod fateatur in instrumento illud recepisse, quilibet enim iuri pro se introducto libere renunciare valet, non enim hoc est impossibile de facto, nec contra ius naturale quod ex pacto absque acceptatione adquiratur absenti, ignoranti, ac infanti ius, vti contigit in legatis quę ignorantibus etiam adquiruntur, donec renuntiata, seu repudiata non fuerint, quod similiter in venditionibus, & donationibus obseruatur in regno pręsertim si interueniat stipulatio notarij, vt in occurrenti cassu contigit, in quo nulla potest esse, nec adhuc probabilis dubitatio. Nec etiam refert si obijciatur quod saltim ad effectũ acceptandi onus soluendi censualia imposita super bonis venditis per patrem, & fratrem venditricis res-

pectiue necessaria est, nam satisfit asserendo, quod cũ prędictum onus impositum fuerit per dominos bono rum ante dictam venditionem tanquam onera realia sequuntur bonorum possessores, absque noua emptoris obligatione, necnon quod cum sub prędicto modo facta fuerit vẽditio sufficit tempore quo effectum habitura est illam acceptasse, prout apparet in processu dictum D. Franciscum fecisse; Praeterea non refragatur quod quarto obijcitur aduersus praefactam venditionem silicet quod Petrus de Altarriba potuit, ex facultate concessa in venditione non solum ius sibi quęsitum renuntiare, sed etiam filij Francisci, vt colligi videtur ex illis verbis. *A quien vos, y ellos querreis respectiue*, aliàs quod ea verba essent, quod sine aliquo effectu operandi. Nam respondetur; quod praeterquam ea verba fere in omnibus instrumentis venditionum, ex stylo per Notarios solent ap poni, ob quod nihil aliud continere censentur, nisi quod iam tacite inest, & venit in cõsequentiam; quod prorsus tollit difficultatem, est illud verbum (*respectiue*) relatiuum non solum diuersarum personarum, & temporum; sed etiam diuersorum iurium, singula iura singulis personis, prout conuenit referendo, atque ideò cum ius competens Petro diuersum, & saeparatum fuerit a iure Francisci, tantum respectu iuris sui debet censeri data facultas disponendi, non verò alterius, absurdum enim, & iniquum foret, eam fieri inter pretationem, per quam concessa videretur facultas vni ex emptorib⁹, pro arbitrio alterius, auferre quod propria pecunia comparasse praesumitur, necnon, attenta mente venditricis volentis suo cassu; quod bona peruenirent in Franciscum, in cuius fauorem apparet principaliter concesisse venditionem, ac suorum

des-

descendentium, non verò Petri, ad cuius vitam dumtaxat limitauit. Tandem non vrget si dicatur, quod licet Petrus non potuerit in recognitione, & renunciatione comprehendere ius Francisci, voluit tamen, quod sufficit cum hęres eius fuerit. Nam respondetur nullo modo constare voluisse, imo contrarium colligitur ex pluribus, & præsertim ex eo quod in dicto instrumento, non reperitur nominatus Don Franciscus, & si fuerit principalis emptor, non enim præsumitur per obliuionem omissum; quod de facili potuit exprimi, sed deliberatè, & consulto, præsertim cum isdem Notarius fuerit qui testificauit vtrumque actuum venditionis, & recognoscementi; tum etiam cũ agebatur de præiuditio filij, in dubio præsumendum est noluisse illi præiuditium inferre; & quod si pro exoneratione suæ conscientiæ, quod clarius locutus foret, & suadere videntur sequentia verba: *me huuiesse vendido*, possita in narratiua instrumenti venditionis; *fidelidad mia*, in prooemio: *vendicion a mi hecha*, octo vicibus repetita, & in clausula renuntiationis, illa, *todo y qualquiere drecho que por la presente vendicion me ha sido adquirido, ò se me ha podido adquirir*, & postea in sequentibus illa, *todo el drecho, accion, possession, y dominio &c. en virtud de dicha vendicion me pertenece, y puede pertenecer*: & ibi: *Como si aquella a mi nunca me fuera otorgada.* & ibi: *Para en caso que yo de presente, ò en algun tiempo fuere trobado en possession*: & ibi: *Querient confesar, que si en algun tiempo contecerá yo, o mi familia, ò algun factor, ò procurador mio, ò algun otro por mi, ò en nombre mio*: & ibi: *Transferezco en vos, y a los vuestros todas las acciones que a mi, en virtud de la precalendada vendicion pertenecen*: & in clausula euictionis ea verba: *Por acto, tracto, ò con-*

tra-

tracto, fecho por mi, segun dicho es, por causa dependiente de mi:& tandem in vltimis verbis dicti instrumenti, *certificado de mi drecho*; quæ omnia meram personalitatem demonstrant non egredientia personam Petri renuntiantis, neque satisfacit euassio quod illa: *vendicion a mi hecha*, in dubio potius demonstratiue posita quam restrictiue censeri debere, nam cum calendariũ instrumenti venditionis fuerit positum in instrumento recognitionis, sufficiebat illa demonstratio, & non indigebat quod tot vicibus repeterentur, geminatio quippe enixam restringendi voluntatem significat. Neque supradictis obstant quæ ex aduerso expenduntur nempe, quod causa procemialis, & finalis recognitionis fuerit agnoscere bonam fidem, & venditionem fuisse factam in fide, & pro cubierta, & ad vtilitatem tantum Domnæ Elisabetis, quę influere videtur in totam venditionem. Nam respondetur, quod licet hæc fuisset causa finalis recognitionis, influere non potest in totam venditionem nissi in parte confitentis, quia supposita realitate, & veritate venditionis, vt supra ostensum est, huiusmodi simulatio, & recognitio apparet, quod solum pendet à voluntate confitentis volentis, sibi præiudicare, & ius quod vere habebat renuntiare, vnde non est præsumendum voluisse, nissi quod potuit, ne extendatur vlterius effectus quam sua causa. Præterea neque etiam refragantur illa verba, *reconozco y confiesso por mi, y los mios presentes, y aduenideros*: nam intelligenda sunt, necessario de hæredibus, & successoribus vniuersalibus Petri de Altarriba, nam sub ea qualitate tantum potuit suos adstringere, ad obseruantiam pactorum non filiorum solum, aliás verba illa, *los mios presentes, y aduenideros*, superfluo essent adiecta, & remanerẽt sine aliquo effe

ctu sperandi; atque ideo licet Franciscus de Altarriba sub qualitate hæredis vniuersalis potuerit comprehendi, non autem vt filius, & vt successor particularis in loco de Huerto, sub qua qualitate venditio fa cta fuerit in fauorem dicti Francisci, & suorum filiorum & descendentium, quem constat in dicto loco de Huerto, non tanquam hæredem patris successisse, sed iure vinculorum, vt videre est per instrumentum capitulorum matrimonialium Petri de Altarriba, & Domnæ Ioanne Diez de Aux in processu exhibitum, ex quibus sequitur, quod cum tanquam successor in loco de Huerto, & emptor loci de Alfocea, Franciscus de Altarriba non potuit compelli ad obseruantiam recognitionis, & renuntiationis quod sub ea qualitate non fuit cõprehensus in dictis verbis equiuocis, *los mios presentes y aduenideros*, rursus neque ex illis verbis, *y del precio de los trecientos mil sueldos Iaqueses no he pagado precio, ni cosa alguna*: Inferri potest de tota venditione sensisse, nam cum de se Petrus tantum loquatur, non de persona Francisci voluisse intelligi debet, & per consequens de illa tantum parte venditionis sibi facta locutum fuisse, non verò de parte Francisci, & pretio per eum soluto, & licet Franciscus tunc infans fuerit, cum tamen pro eo illud præstari posit ab alio, standum est confessioni de recepto factæ per venditricem captiuantes intellectum in obsequium fori, cum non contineat aliquod impossibile de facto, nec inconuenit, tam in viam iuris, quam fori, vt vna venditio diuersarum rerum diuersis, & singulis emptoribus facta pro parte vnius emptoris, respectu suæ rei valeret, & non in parte alterius, etsi pretium fuerit vnicum, cum illud ab vnoquoque illorum saltim pro sua parte præstitum à iu-

re censeatur. Neque etiam aliud suadere arbitramur clausulam cancellationis per quam videtur voluisse Petrum in nota originali cancellari, & deleri venditionem, quod fieri nequit in parte, nisi etiam in tota scriptura venditionis;nam respondetur quod licet ea verba id sonare videantur non tamen ita tenaciter,& expresse intelligenda sunt, vt potius ad eorum corticem quam mentem attendatur, mens enim, & intentio confitentis & renuntiantis vt supra ostensum est ea fuit, solum ius quod sibi ex dicta venditione competebat renuntiare, si enim cancellatio,& deletio fieret de tota scriptura non solum operarentur respectu iuris renuntiantis,sed etiam filij cuius ius non renuntiauit,atque ita aduersus eius mentem, & voluntatē ne ergo hoc tam manifestum absurdum sequatur, necessum est etiam per impropiationem verborum ea intelligere,silicet quoad effectum tātum, vt de prædicta scriptura venditionis respectu iuris renuntiati ipse Petrus,nec alius in iuditio,nec extra posit se iuuari,seu vlla fides adhiberi valeat,non verò de materiali, & actuali deletione notę. Ex quibus omnibus colligitur quod licet Franciscus de Altarriba hæres fuerit Petri, qui in specie pro se,& hęredibus suis promisserit non contrauenire prædicto actui renuntiationis, cum tamen in eo de iure Francisci non fuerit locutus, quod diuersum omnino & separatum esse à iure Petri renuntiantis non ambiguitur,ideo quasi de alia diuersa re,agens Franciscus, non comprehensa in dicto actu recognitionis,& renuntiationis, non censetur impugnare, nec aliquo modo infringere factum defuncti patris. Deinceps vltra prædicta consideratur non constare in hæreditate Petri remansisse bona equiualentia valori loci de Alfocea, certum

tum

que resulta ... 20000 ... dela ... de Suermana y ...

tum est enim, non teneri hæredem factum aprobare defuncti, nisi pro equiualenti commodo, quod ad eum perueniret, nam & si, plura bona libera reliquisse Petrum asseratur silicet pardinam de Frulla, creditum comandæ otuaginta, & octo mille solidorum Iaccensium, & quædam bona mobilia, ac meliroramenta; de quorum stimatione non constat, tamen solum est habenda ratio ad compensationem, de quantitate decem mille libtarum Iaccensium reseruæ factæ in pactis dotalibus Don Fraucisci de Altarriba, & Domnæ elisabetis de Castro, quia in eis à predicto Petro Altarriba, Francisco filio suo facta fuit generalis donatio omnium bonorum habitorum, & habendorum, super quibus simul cum alijs bonis, castris, & locis antea vinculatis in fauorem Francisci reseruata fuit dicta quantitas decem mille librarum in fauorē donantis, ac per consequens resultat dictam pardinā de Frulla, & cætera bona, licet postea quæsita per donantem fore, & esse comprehensa sub dicta donatione, propter quod non debent iudicari pro bonis hæreditaris Petri, aut saltim fateri opportere dictam quantitatem reseruæ decem mille librarum non posse venire in compensationem, cum ex eisdem bonis comprehensis deducenda esset, ad cuius solutionem hipotecata remanebant; quo cassu minus bonorum super esset ad compensationem faciendam, quo supposito restat videre, an appareat de valore castri, & loci de Alfocea, nam de vtroque constare necesse est, & certum est non constare cum & si, pro parte Domnæ Sperantiæ articulatum sit, esse valoris, & stimationis sexcentarum librarum Iaccensium, quot annis soluendarum, & hoc taliter qualiter probatum sit, tamen cum dictus locus de Alfocea habeat annexam jurisdictionem

nem

nem opus erat probare etiam eius ſtimationem, non enim ex valore fructuum inferri poteſt ad valorem juriſdictionis, quæ dignitas eſt magnæ ſtimationis, ac valoris, ac proinde fieri compenſatio non poterit, cum quantitate dictæ reſeruæ, & licet dictus locus reperiatur valde grauatus oneribus plurium cenſualiũ ſuper eo impoſitorum, vt apparet per inſtrumenta cenſualium exhibita in proceſſu litiſpendentiæ, eſt tamen notatu dignum, quod fere omnia illa cenſualia fuerunt impoſita poſt dictam venditionem per Don Carolum de Heredia, & Domnam Eliſabetam Diez de Aux, atque ideò, quod & ſi, quo ad articulum litiſpendentiæ, attenta praxi, & conſuetudine Regni admitti debuerunt, in articulo vero proprietatis non caret difficultate id fieri poſſe. Quibus accedit, quod, & ſi reliquit Petrus hæredem filium Franciſcum apparet ex proceſſu, quod locum de Huerto, Almuniente, & alia bona vinculata in fauorem Franciſci, onerauerit in quantitatibus proprietatem cenſualium pluſquam octo mille librarum Iaccenſium, ac proinde quod pro reſertione, & compenſatione damni illati, & diminutionis patrimonij Don Franciſci præſumendum eſt reliquiſſe eius hæredem, quibus omnibus ſic diligenter perpenſis, pro veritate, & validitate dictæ venditionis iudicandum fore arbitramur, non obſtante iure Domnæ Sperantiæ, quod poſterius eſt, & exiſtente dicta venditione locũ habere non poteſt hijs, & alijs atteñ. conteñ. &c.

Trata del valor de
rea al tiempo de la
dicion, y si al tiem
le la lite, questaba
ui cargada de censa
y si valia menos y
si para [illegible]
venia

SIG † NVM mei Hieronymi Segouia ſcribæ mandati ſuæ Maieſtatis, Cæſarauguſtæ domiciliati, authoritateque Regia per totum Regnum Aragonum, publici Notarij, qui huiuſmodi vota, & motiua a libro Regij Conſilij cauſarum Ciuilium præſentis Regni, vbi continuata exiſtunt, manu mea propria extraxi, & cum eo bene, & fideliter comprobaui, in quorum fidem, & veritas teſtimonium meo ſolito ſigno ſignaui.